

Delineatio honorarij Tumuli funebris Pompæ exhibitæ Romæ in Ecclesia Sancti Laurentij in Lucina, cùm Jacobo **II.** *immortalis memoriæ Magnæ Britanniæ Regi, Fideiq. Defensori. Justa solemni ritu in præfato sui Tituli Templo persolueret Emus, et Rmus Carolus Cardinalis Barberinus.*

Sebastianus Ciprianus Arch. inuen. et del. *Alexander Speculus Sculpsit.*

SACRA EXEQUIALIA
IN FUNERE
JACOBI II.
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS
EXHIBITA

AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPE

CAROLO
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

CARDINALI BARBERINO

In Templo sui Tituli Sancti Laurentii in Lucina,

DESCRIPTA

A CAROLO DE AQUINO
SOCIETATIS JESU.



ROMAE, TYPIS BARBERINIS. MDCCII.

Excudebat Dominicus Antonius Hercules in via Parionis.
SUPERIORUM FACULTATE.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Mag. Sacri Palatii Apoſtol.

D. de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

Digitized by the Internet Archive
in 2009

https://archive.org/details/sacraexequialiai00aqui

IN eos præcipuè Filios toto animi ſtudio Matres ferri ſolent, quos, intermiſsâ diu fœturâ procreatos, ipſa facit longinquitas deſiderii, & ſolicita expectatio cariores. Eorum verò partuum amiſſione vehementiùs eædem triſtantur, quos majori jucunditatis fructu ſuſceperunt poſt diuturnæ ſpatia Viduitatis. Utraque hæc communium parentum proprietas mirandum in modum eluxit poſtremis hiſce temporibus in hac veritatis Magiſtra, & Chriſti Fidelium Matre, Apoſtolica Sede Romana. Tot ſiquidem, tantiſque ſingularis lætitiæ teſtimoniis Jacobum II. magnæ Britanniæ Regem ab ipſis Regni primordiis proſequuta eſt; tam eximiâ benevolentiâ amantiſſimum Filium amplexa, nulla materni amoris ſatietate, pectori adſtrinxit, ut longæ, quam in Regia Stuartorum Familia ſuſtinuit, damna orbitatis, hac una ſuſcepta prole, abundè ſibi rependi, atque penſari videretur. Accepto autem nuncio de ejuſdem interitu acerbiſſimo, eò graviùs indoluit, quò majorem antea læti-

tiam, atque voluptatem animo præceperat. Graviſſimi certè luctus ſinceras, atque certiſſimas notas palam prodiderunt CLEMENTIS XI. *Pontificis Maximi verba illa, quibus ad Purpuratorum Patrum Senatum, & Regis de Religione optimè meriti laudes, & ſuam, ejus cognito interitu, ſummam ægritudinem luculenter expreſſit. Nihil autem ad tanti mœroris teſtificationem accommodatius excogitare potuit, quàm ut, indictis ad Vaticanum extincto Regi Sacris Funebribus, de ejuſdem virtutibus ſplendidiſſimam Orationem habere juſſerit D. Annibalem Abbatem Albanum, Fratris ſui Filium natu maximum, Adoleſcentem lectiſſimum, & ad omnem veram laudem, per ſummi Patrui veſtigia, ſtrenuè, naviterque enitentem.*

Laudatiſſimis Optimi Pontificis exemplis inſiſtens, iiſque, præter inſitum ſibi generoſæ Pietatis ſtudium, incitatus Eminentiſsimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus, aliquod etiam erga eundem Regem publicè extare voluit ſtudioſiſsimæ voluntatis ſuæ teſtimonium, quod illuſtria Regis in

Romanam Fidem promerita ſibi vindicarent. Præſertim cum non pauca accederent nomina veterum officiorum, quibus idem Eminentiſsimus Cardinalis ſe Regiæ Familiæ vehementer obſtrictum, Anglici verò Regni veræ ſolidæque felicitatis magnoperè ſtudioſum profiteretur. Ut enim præteream, Maffæum Barberinum, cum apud Regem Chriſtianiſsimum Pontificium Oratorem ageret, confirmandæ promovendæque in Anglia rei Catholicæ ſtrenuam, nec unquam intermiſſam operam impendiſſe; atque ipſi in primis Jacobo I. Regi Catholicæ Religioni reſtituendo, ſolertis ingenii neceſſarium familiaremque ſuum Londini detinuiſſe, cujus litteris de Regis voluntate, conſiliis omnibus, ac vitæ ratione in dies fermè cognoſceret: ut omittam, ab eodem humaniter ſuſceptum, ſolicitè porrò, impigrèque præſtitum Catholicorum patrocinium, ac potiſsimum interpoſitis Chriſtianiſsimi Regis Officiis, contendiſſe, ne per extrema miſeriarum vitam in Anglia agitarent, qui perſummam injuriam inſimulabantur pulverariæ illius conjurationis, tot

mendaciſsimis Hæreticorum ſcriptis, ac tragicis penè declamationibus toties inculcatæ: nihil certè ad tanti Viri, ac non ita multò poſt ſupremum Eccleſiæ regimen adituri, memoriam conſecrandam illuſtrius, quàm quòd Paulus V. Pontifex Maximus Maffæum ob res Angliæ, Regnique ſecuritatem ſummo Religionis ardore in Gallia procuratam, non modo inter Proceres Purpuratos retulerit, ſed Scotiæ Protectoris titulo auxerit, quo pridem Eminentiſsimus Cardinalis Scipio Burgheſius, ejuſdem Pontificis Fratris Filius, honeſtabatur. Ille verò mirificam quamdam inclitæ Nationis fovendæ voluntatem ubique præſetulit, maximeque erga Collegia Scoticæ Juventutis, ex quibus, Catholicis tutandis partibus, ſubſidiariæ acies, pietatis, ac literarum prævalidis munimentis inſtructæ ſubinde in Patriam remigrarent. Verùm ubi, Urbani VIII. nomine ad Summi Pontificatus faſtigium eſt evectus, ut magnæ Britanniæ Regna ad priſtinam Religionem, & gloriam revocaret, poſtulatas à Carolo Valliæ Principe cum Maria Philippi IV. Hiſpaniarum

Regis

Regis Filia nuptias benignè probavit : quæ cum , abrupta tractatione , non coalescerent , Pontificiæ Authoritatis beneficio eidem indulsit , ut Mariam Henricam , Christianissimi Regis Sororem , Uxorem acciperet ; id unicè spectans , & confidens omnino fore , ut ille nexus sublevandis Catholicorum animis , Hæreticisque ad sanam mentem reducendis momenti esset plurimum habiturus . Et Carolus quidem magnæ Britanniæ Regnum adeptus , literis ad Urbanum Pontificem datis , eidem minimè infestum in Catholicos , & Romana sacra animum est pollicitus : quam Regis voluntatem Urbanus peramanter accepit ; utque ad majorum suorum exempla , Fidemquè respiceret , paterno Regem studio , benevolentiaque , Apostolicis litteris commonuit . Pontificium amorem illum pro viribus opitulandi nobilissimis Regnis , obnixo animo exceperunt Eminentissimi S.R.E. Cardinales Franciscus , & Antonius Barberini : quorum cum alter Angliæ & Scotiæ , alter Hiberniæ Protectoris titulo esset insignitus , amplissimum uterque munus summa cum laude , pa-

rique emolumento, fructuque gessit. His, atque talibus permotus Eminentissimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus, eam de vera Angliæ Religione benemerendi provinciam sibi à Majoribus suis veluti per manus traditam non modo tueri, sed pro virili parte proferre, æquum sanctumque duxit. Et quoniam Jacobi II. eximiis virtutibus, & singulari illa, præ Romanæ cultu Religionis, despicientia mortalium titulorum mirum in modum capiebatur, ubi primùm eundem Regem mortalitatem explevisse percepit, nihil antiquius habuit, quàm ut summa alacritate adiiceret animum, celebritati, quantam maximè posset, conciliandæ tam insigni Romanæ Fidei Defensori. Constituit proinde die vigesima octava Januarii Jacobo II. Magnæ Britanniæ Regi justa persolvere in Templo, quod in Ordinis Cardinalitii titulum præfert, S. Laurentii in Lucina dicto.

Insignis Urbis Architectus Sebastianus Cyprianus Operi eximia cum laude præfuit. Ea certè fuit elegantia, splendor, Majestas ornatus universi, ut in unam, expressamque

vocem omnium ſuffragia conſpiraverint, palam profitentium, quod attinet maximis Principibus exhibita ſacra emortualia, nihil ab ipſis magnificentius Romæ viſum. Tametſi verò ipſo Exequiarum die incredibilis quædam frequentia, ex præcipuo Romanæ Nobilitatis flore collecta, Templum confertiſſimè occupaverit; tamen, ne avida aſſidue confluentium pietas laudabili ſtudio fraudaretur, neceſſe habitum eſt, ad decem dies ornatum omnem intactum relinquere. Quod ipſum producti temporis ſpatium nihil obſtitit, quò minùs effuſiſſima multitudo ad ſacram illam Ædem continenter, atque certatim accederet, nullumque ſibi modum ſtatueret regiæ molis amplitudinem demirandi, & meritis laudum præconiis efferendi ſummam Eminentiſſimi Principis magnificentiam cum ſumma pietate certantem. Verùm maximam Operi celebritatem, & longè clariſsimum decus conciliavit Clemens XI. Pontifex Maximus, qui Honorarium Tumulum, & ſingula fermè ejuſdem ornamenta præſentiâ ſuâ nobilitare dignatus eſt; verbiſque benigniſsimis largiter

com-

comprobavit Religionis ſtudium, quo Eminentiſsimus Cardinalis ad ita excolendam Religioſiſsimi Regis memoriam exarſerat. Hæc autem idcircò à me dicta velim accipiant ji, in quorum manus narratio hæc noſtra pervenerit, ut planè intelligant, conſpicua illa pompæ funebris lumina, in hac deſcriptione, multis partibus facile mutila, certè rudi, & emortua jacere penitùs, atque vileſcere. Quid ni verò? Cum etiam peritiſsimi Artifices, qui colorum pigmentis dimicantes exercitus, aut maris tempeſtates mentiuntur, quantavis ſucceſſus felicitate potiantur, adhuc probe pernoſcant, aliud demum eſſe mutas, ſegneſque tabulas; aliud veros, aut pugnarum tumultus, aut fremitus procellarum.

Templi facies pulla veſte contecta, laciniis inter Porticus Columnas molliter decidentibus, prægrande monſtrabat Inſigne Regium, luteis coloribus ſubobſcure illuminatum. Excipiebant Teſſeram Effigies geminæ. Spem altera, altera Fortitudinem referebat; quarum baſibus alatæ radiabant Calvariæ. Latera verò ipſa Trophæa quatuor militaria, toti-

dem fermè distincta Pyris flagrantibus, tuebantur.

Porticum undique atratam quatuor ornabant perampla Numismata, totidem Regis Virtutes affabre coloratas referentia, Tolerantiam, Potentiam, Consilium, & sacrum divinæ Majestatis Timorem: pendebant autem, tæniis scite excurrentibus, inter mortis calvas utrinque sublatas.

Templum ingredientibus continuò conspiciendam sese exhibebat Moles Regia Cenotaphii, ad lacunar usque Templi perducta; quod auro, picturâque discriminatum mirè novo ornatui congruebat. In media ejusdem area quatuor à singulis angulis procurrebant in sublime Columnæ, ad Corinthiæ normam Architecturæ, tortuosis flexibus in spiram convolutæ. Columnarum bases è luteo erant marmore colorato, calculosis maculis intermisto. Ab earum facie, coronidis inauratæ fulcris sustentata, extabant quatuor Mortis simulacra, quæ integra corporis mole, aureisque vestium involucris expressa, coronâ itidem aureâ præcinctâ fronte, argenteum sceptrum efferebant. Altera

verò manu Numiſmata oſtendebant, quatuor magnæ Britanniæ Regna eleganter adumbrantia. Baſium facies, Spartano ementito marmore, Regis Inſignia excipiebant, inter flexus decurſuſque frondium cupreſſinarum, ramoſque laureos, oleaſque multis Mæandris implexas, & mutuis nexibus interceptas.

Tractus verò integer Columnarum ab infimo ad ſuperiorem ſcapum contortis voluminibus perpetuò ſtriatus excurrebat, ramuſculis per certa intervalla oleaginis, cupreſſinis, laureiſque concinne diſcriminatis. Nec à diſpari Emblemate Zophori, Epyſtilia, & Capitella, ex opere anaglyptico, ornatum recipiebant nam auro contecta omnia ludicros ramorum encarpos, turbinato ſinu, à prominentibus latuſculis effundebant. Poſtremo in ipſis Columnarum faſtigiis quatuor emicabant Trophæa bellica, quæ auro, argentoque illuminata, expanſis vexillis, ferratis clavis, frameis, omnigeniſque promiſcuè complicatis armis, ſplendidum quendam metum incutere videbantur.

Edi tiſſimum ſpatium inter medias Colum-

nas relictum implebat ingens ampliſſimæ Coronæ textum, quod fictitiis unionibus, gemmiſque confectum, & ſaturatum, in morem regalis umbellæ tumulum tegebat; in cujus extremo apice præfulgens pila, & inauratum deſuper auguſtiſſimæ Crucis Inſigne minimùm a lacunato Templi tecto diſtabat.

Ad tumulum infrà defixum, eundemque vndique avulſum dilucidèque perſpicuum, per appoſitos in gyrum gradus, patebat aditus. Ac primùm ſtilobata orbiculatus, lutei marmoris maculoſas venas aſſimilans, directis adverſus Columnas projecturis, quatuor Genios ſpectandos obiiciebat, mœrore dejecto vultu, & extinctas faces manu geſtantes. Ipſæ verò ſtilobatæ facies Trophæis, ſertiſque mœſtarum frondium renitebant. Altera erumpebat inde baſis quadrata, ſenſim in proceſſu deficiens, quatuor à totidem angulis efferens argentea Mortis ſimulacra, integræ eminentiæ, coronis porro aureis redimita, & auratas alas explicantia: ſummis verò capitibus Vrnas aureas lacrymatorias ſuſtentabant. Obibat latera quadrigeminum Cornucopiæ, unde

egreſ-

egreſſæ, aureoque haſtili diſpoſitæ funales faces, inter totidem Pyras prælatis è ſolido argento urnis injectas, ardebant.

Elatioris hujus Pegmatis facies, quatuor delineata ſymbola, Regis Virtutes indicantia, complectebatur.

Primum. Veritas dexterâ ſolem attollens, lævâ blandiens Monoceroti, cum Lemmate. LEX VERITATIS FVIT IN ORE EIVS, ET INIQVITAS NON EST INVENTA IN LABIIS EIVS.

Alterum. Serpens adductâ in os caudâ, circulum efficiens, coronato ſole intus recepto, ſparſiſque deforis ſtellis, cum Lemmate. FATO PRVDENTIA MAIOR.

Tertium. Leo coronatus enatas herbas proterens, cum Lemmate. VIRESCIT VVLNERE VIRTVS.

Quartum. Laurus inter excuſſas, & ſerpentes circum ſagittas, cum Lemmate. VIRTVS VBIQVE TVTA.

Poſtrema Tumuli ſolea metallo expreſſa, Leopardos quatuor auratos anaglyphicè exciſos, Urnæ ſepulchrali amplectendæ, extollen-

deque

dæque admovebat. Urnam verò ad Lydii ſimilitudinem marmoris expolitam, ac mutulis illuſtri cælatura exornatis elatam, atque ſuſpenſam Simulacrum obumbrabat, ad integram eminentiam, exſculptæ Mortis coronatæ, & ſtrato corpore decumbentis. Et illa quidem alterâ manu Regale ſceptrum, alterâ ſcriptoriam Tæniam eleganti flexu diſſectam gerebat, hac exaratam Epigraphe. IACOBVS II. ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ REX, FIDEI DEFENSOR. *Hinc oblongum Numiſma aureum, undique abſciſſum præciſumque, pendebat, dimidio Anaglypho, ex vero expreſſam Regis effigiem utrinque referens, præcinctumque venuſtiſſimo encarpo, laureos ramos argento ſimulante. Majeſtatem ſpirans Religionis ſtatua ad Cælum Numiſma, Regios vultus inſculptum, ſublevabat; debitamque Heroi ſummo Immortalitatem ſpondere videbantur, hinc Hiſtoria, hinc Fama, ſimulacris elegantiſſimis adumbrata.*

Eccleſiæ apſidam veſtis violacea, & quæ Aræ Maximæ propiora erant, villoſum Ho-

loſericum ejuſdem coloris velaverat. Exteriorem verò apſidæ frontem tergeminæ obduxerant tabulæ, non vſitatæ magnitudinis, miræque concinnitatis; quibus explicata vexilla, trophæa, criſtatæque caſſides alludebant.

Prima. Regis Natalitium diem repræſentabat; exerebatque ſeſe Civitas Londinenſis; atque ipſum expreſſius Vbithealium, Jacobi Regis Natale Caſtrum, conſpiciendum offerebat exorientem Solem ab alato Genio coronatum, cum Lemmate; EMERGIT NITIDISSIMVS.

Altera Occidentem proferebat Solem, cum Lemmate. MERGITVR, ET FVLGET; *aderatque Lutetia Pariſiorum, & S. Germani Caſtrum, Hoſpitio Regis, & Morte clariſsimum.*

*Tertia Solem monſtrabat, nitidiſſimo meridie, mediâ Zodiaci Zonâ effulgentem, cum Lemmate.*PERGENS FERVET, ET CLARESCIT SVB MERIDIE SPLENDIDISSIMO. *Inferiori Tabulæ parte Hadriana Moles, Baſilica Vaticana, Forum Columna-*

tum,

tum, Ædesque Romani Pontificis magnificentissimæ spectabantur.

Cæterùm pullus ubique decidens amictus, receptis, per discreta spatia, in nodum laciniis, & picturatis subinde Emblematum Tabulis variatus, Templi latera contegebat. Summum continenter procurrentis Coronæ spatium candelabra subobscurè delineata fulciebat, quæ funales Cereos quadrilibres in gyrum flagrantes regebant. Omnia verò latè diffuso splendore complebant decem, ad lateritias Templi pilas, à solo ad Coronam productæ Hastæ prealtæ, opulentissimâ Cereorum copiâ undique coronatæ. Eas pulcherrima specie, multa auri vi, & egregiis cælaturis incisæ bases sustinebant; superinducta singulis, integræ eminentiæ, Mortis statuâ, variisque permistarum frondium lusibus, atque Mæandris, & inauratis nexibus Coronarum.

Tabulæ atrata Templi latera discriminantes omninò quatuordecim numerabantur. Quarum sex magnæ Britanniæ stemmata suis coloribus, & symbolis ad verum expres-

sa,

ſa; octo reliquæ Emblemata oſtendebant, Regias Virtutes aptiſſima varietate indicantia.

Primum Emblema. Fidei effigies pectore radiantem Solem, dexterâ ſanctiſſimam Crucis Teſſeram gerens, cum Lemmate. IN FIDE SVA PROBATVS EST, ET COGNITVS EST IN VERBIS EIVS FIDELIS.

Alterum. Ex Olea arefacta viridis enaſcens ſurculus, ad propitii Solis aſpectum, cum Lemmate. RENOVABITVR.

Tertium. Ad Noemi Arcam undis jactatam Columba advolans, ore virentem Olivæ ramum adſtringens, cum Lemmate. SPERNIT IMPAVIDA FLVCTVS.

Quartum. Annoſa Quercus, inter adverſos ventorum ingruentium impulſus, cum Lemmate. INCONCVSSA MANET.

Quintum, quod primo Emblemati in arcu Apſidis erat adverſum. Effigies Zeli

Glo-

Gloriæ Divinæ, bipenni appoſita; & prefulgenti lychno, cum Lemmate. ZELANDO ZELVM DEI ACCEPIT TESTAMENTVM ÆTERNVM.

Seſtum. Monoceros, Tameſinis aquis cornu immergens, cum Lemmate. VENENA PELLO.

Septimum. Exerta Leonis manus evaginatum gladium capulo adſtringens, cum Lemmate Græco. ΑΠΛΑΝΟΣ

Octavum, depreſſo Palmæ ramo inſertum Pſalterium, cum Lemmate. INCLINATA RESVRGIT.

In Interioris Januæ Fronte præfixum erat ingens ſane, & omnium luculentiſsimum Numiſma Trophæis, galeis criſtatis, pennatis jaculis, multoque illito auro ſpectabile. Solem emiſsis radiis Nubes fugantem cum Epigraphe, SVA LVMINA SERVAT; *& procelloſi Maris fluctus ad ſcopulum alliſos expromebat, addito aureis characteribus Lemmate.* PERSTAT IMMOTVS. *Defluebat inde ampliſsimæ*

ſpatium Tabulæ Regis Elogio inſcriptæ: quo clariſsima Regis geſta, & laudes graviter, ornatéque perſtringebantur. Tabulam hinc, inde complectebantur, & efferebant Effigies geminæ; quarum altera Conſtantiam, altera Æternitatem ad vivum reddebat.

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Philippo Michaeli Ellis Epiſcopo Aureanapolenſi Rem divinam peragenti, inter præſtantes Muſicæ concentus, interfuerunt S. R. E. Cardinales, quot fermè Romæ aderant, cum Corona Illuſtriſſimorum Præſulum frequentiſſima, Romanæque Nobilitatis. De Regis laudibus Orationem habuit Carolus de Aquino Societatis Jeſu: quâ abſolutâ Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Præſules Joannes Monrealis Archiepiſcopus Rheginenſis, Ulyſſes Joſeph Gozzadinus Archiepiſcopus Theodoſiæ, Antonius Felix Zondodarius Archiepiſcopus Damaſcenus, & Joſeph Vallemanus Archiepiſcopus Athenienſis, Eccleſiæ ritu, Abſolutiones ad Cænotaphum perſolverunt.

Tabularum, atque Numiſmatum, quæ ſuperius expoſuimus, Icones Chalcographicas conjunctim infra ſubiicimus, eodem ordine, quo à narratione indicantur.





Sebastianus Ciprianus. Arch. inuent. et delin.

Alexander Speculus Sculp.

LEX VERITATIS FVIT IN ORE EIVS ET
INIQVITAS NON EST INVENTA IN LABIJS EIVS

Sebastianus Ciprianus Arch. inuent, et delin.

Alexander Specculus Sculp.

CASV PRVDENTIA MAIOR

Sebastianus Ciprianus Arch. inuent, et delin.

Alexander Specculus Sculp.

Sebastianus Ciprianus Arch. inuent. et delin.

Alexander Specculus Sculp.

VIRTVS VNDIQVE TVTA

Sebastianus Ciprianus Arch. inuent. et delin.

Alexander Specculus Sculp.



Sebastianus Cipriani Arch. inuent. et delin. *Alexander Speculus Sculp.*

Sebastianus Cipriani Arch. inuent. et delin. *Alexander Speculus Sculp.*

Sebastianus Cipriani Arch. inuent. et delin. *Alexander Speculus Sculp.*

Sebastianus Ciprianus Arch. inuen. et del. *Alexander Speculus Sculp.*

Sebastianus Ciprianus Arch. inuen. et del.

Alexander Speculus Sculp.

Sebastianus Ciprianus Arch. inuent. et delin.

Alexander Specculus Sculp.



Sebast' Ciprianus Arch. inu. et del. *Alexander Specculus Sculp.*

Sebastianus Ciprianus Arch. inu. et del.

Alexander Specculus Sculp.



Sebastianus Ciprianus inuen.et del. *Alexander Speculus Sculp.*



Sebast.° Ciprianus Arch.ius et del. *Alexander Speculus Sculp.*

Sebast.^o Cipriamus Arch.^tus et del. *Alexander Speculus Sculp.*

IACOBO II. MAGNÆ BRITANNIÆ REGI.

IVRE SVO ROMA PARENTAT, QVÆ ENIM EST TOTO TERRARVM AMBITV COLVMNA, ET FIRMAMENTVM CATHOLICÆ VERITATIS, ÆQVISSIMVM PLANE EST, VT INVICTVM ILLIVS DEFENSOREM, CONSTANTEMQVE CVLTOREM, NON TAM HOMINIBVS EREPTVM LACRYMIS, ATQVE SVSPIRIIS PROSEQVATVR, QVAM CÆLITIBVS SOCIATVM, ET BEATA SORTE ÆTERNA EORVMDEM FÆLICITATE POTITVM LÆTISSIMA GRATVLATIONE CONSECTETVR. HOC EXIGVNT PRÆCELSÆ TANTI ÆVO NOSTRO HEROIS OMNIGENÆ VIRTVTES, QVIBVS CVM SE IPSO VNIVERSAM ORTHODOXAM ECCLESIAM ILLVSTRAVIT, DVM SVI GLORIOSISSIMVS DOMITOR SEMPER IMPAVIDVS, SEMPERQVE IMPERTERRITVS BELLICIS, TERRA, MARIQVE VICTORIIS CLARVS, CLARIOR TAMEN ELVXIT VICTORIA SVI, QVA HVMANIS CONTEMPTIS TERRENA DIADEMATA POSTHABVIT COELESTIBVS, SICQVE SEIPSVM EVICIT INCLYTVM SÆCVLORVM TRIVMPHATOREM. HOC TOTAM ERVDIENS ECCLESIAM DOCVIT, PRÆCEPITQVE PRÆSTANDVM SVO DIVINÆ SAPIENTIÆ ORACVLO SVMMVS ATQVE SANCTISSIMVS SACRORVM ANTISTES CHRISTI IN TERRIS VICARIVS PONT. OPT. MAX.

CLEMENS XI.

QVI ILLVM, QVEM ADHVC INTER APOSTOLICÆ SEDIS LVMINA CONSTITVTVS OFFICIIS OMNIBVS, SVSPEXIT DEMERVITQVE, MOX AMANTISSIMI PATRIS SENSV VTI FILIVM CHARISSIMVM COMPLEXVS EST, EVNDEM NVNC, QVAM IN DEO REPOSITAM SPEM HABEBAT IAM ASSECVTVM, PIIS VOTIS PROSEQVENDVM ESSE VERITATIS FRÆCO ENVNCIAVIT. HVNC IGITVR, QVEM CHRISTIANA RELIGIO STRENVVM PROPVGNATOREM HABVIT IN TERRIS, AVXILIATOREM. HAVD IMMEMOREM IMMARCESCIBILI REDIMITVM CORONA REGNANTEM EXPERIETVR IN CÆLIS.

Sebastianus Cipranius Arch. inuent. et delin.

Alexander Speculus Sculp.



Unus ex decem illuminantium

prospectibus Fanalium molem.

Scala de Palmes

Bibliotheca Regiomontana, Archivum et Atelier

ORATIO
IN FUNERE
JACOBI II.
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS

Habita in Templo S. Laurentii in Lucina

Die 28. *Januarii*

A CAROLO DE AQUINO SOCIETATIS JESU.

SERENISSIMIS

JACOBO III. REGI,

ET

MARIÆ ESTENSI

REGINÆ MAGNÆ BRITANNIÆ.

CAROLUS DE AQUINO FELICITATEM.

I, quantum materiæ præstat amplitudine, tantum ingenii artisque luminibus explendesceret Oratio in funere

Jaco-

Jacobi II. glorioſiſſimi Parentis Tui, Jacobe Rex, amantiſſimi Tui Conjugis, Maria Eſtenſis Regina, juſſu Eminentiſſimi S.R.E. Cardinalis Caroli Barberini, à me recens habita, non ingratum Vobis fore ſperarem qualecumque hoc obſervantiæ in Vos meæ, & obſequentiſſimi animi teſtimonium. Quid enim jucundius Conjugis oculis incurrat, quam præconia Conjugis? Quid Regia Soboles avidius perlegat, quam conſignata litteris exempla Maximi Genitoris? Ad hæc, cum Jacobi Regis præclarè geſtorum ità teſtis fuerit Conjux, ut eundem conſilio, prudentiâque ſuâ juverit, & confirmaverit; ità admirator fuerit Filius, ut paternas virtutes præſtanti animo penitus imbiberit, eo planè fit, ut duplici uterque titulo extincti Regis laudes, ut proprias accipiat, habeatq; primùm vinculo ſanguinis, quod eſt utrique commune; iterum, Altera ſocietate laudis, Alter æmulatione Virtutis. Neque verò quidquam obſtat in Summi Regis Virtutibus efferendis facultatis meæ tenuitas: quam nimirum ornatus cęteri ſplendore Eminentiſſimus Princeps Carolus Cardinalis Barberinus ità inumbravit, & obruit, ut cum parietes ipſi Numiſmatis, Emblematis, aliiſve Jacobi Virtutum ſymbolis cooperti de ejus laudibus di-

ſertiſſimè loquerentur, minimum ſanè ab Oratoris voce expectandum ſupereſſet. Ea certè opulentia operis univerſi, atque Majeſtas effulſit, ut Eminentiſſimi Cardinalis multis experimentis ſpectata Romæ magnificentia, in hoc adornando Funere, ſeipſam omninò ſuperaſſe ſit viſa. Expreſſiore nullo monumento oſtendere potuit, quàm ſanctè, religiosèque coleret Jacobi Regis memoriam; quanto animi ſtudio, & obſervantiâ in Majeſtates Veſtras afficeretur; poſtremò quàm altè impreſſa animo gereret, quæ jampridem à magno Patruo Urbano paterni amoris, & Apoſtolicæ Charitatis erga Catholicos inclytæ Britannicæ Nationis hauſerat documenta. Huc demum perſane congruit, quod de Romani Equitis in Priſcillam Conjugem pietate ſcriptum reliquit ſplendidiſſimus Vates:

Sic auferre rogis umbram conatur, & ingens
Certamen cum Morte gerit, curaſque fatigat
Artificum; inque omni te quærit amare metallo.

Ego verò, quemadmodum ſummo honori meo, gloriæque duxi, ut in partem tàm illuſtrium Exequiarum, Regiſque laudibus exornandis vocarer; ità plurimum debere me ſentio, & fateor

prolixæ in me voluntati Eminentiſsimi Cardinalis, qui aditum mihi ad Majeſtates Veſtras adeundas, Ipſiſque Orationem hanc Funebrem inſcribendi patefecit. Ac Vobis demum feliciſsima omnia, ut quicumque aliquo Religionis ſtudio flagrant, certè faciunt, ex animo voveo.

ORATIO.

NON unam hodie cladem uno vulnere accepimus, EE. PP. Uno magnæ Britanniæ Rege humanis curis exempto, prolixam ſummorum Virorum ſeriem è medio ſublatam requirimus. Illuſtre Orbis Chriſtiani lumen deſideramus, Jacobum, Ducem Eboracenſem; longe ſplendidius, Jacobum Regem; clariſſimum, ac fermè divinum, Jacobum Exulem. Nihil illo Duce præſtantius antiquitas prodidiſſet, niſi Jacobum Ducem Jacobus Rex antecelleret. Nihil illo Rege ſublimius Poſteritas oſtentaret, niſi Jacobus Rex à Jacobo Exule vinceretur. Regios titulos Eboracenſis explevit; Rex anteceſſit; Exul, quo tantam virtutem nomine dicam, neſcio: Vos de illius pondere, æſtimatores æquiſſimi, judicate. Perorare hic potuiſſem, ſi, quemadmodum brevi hoc verborum ambitu, de Jacobo II. magnæ Britanniæ Rege abundè

multa

multa perſtrinxi, ita eadem eſſent ad veſtri doloris delinimentum ſatis. Ut hujus vulneris acerbitati, quod meritò in Reipublicæ Chriſtianæ pectus, ſupra quam cui quam æſtimare liceat, alte deſcendit, levationem adhibeam aliquam, aliquantò latiùs hæc ipſa de ſummo Rege, non alia referam: neque porrò quid ipſe poſtulet, ſupra omnem ambitioſæ laudationis audaciam conſtitutus, quam quid veſtra hęc pręſens mœſtitia flagitet, reputabo. Nihil proinde ab inſtitutæ partitionis ratione deflectens, conabor oſtendere, militarem diſciplinam ad ſummam gloriam evexiſſe Jacobum Ducem Eboracenſem; vetus, & agnatum Anglicis Regibus cognomentum Fidei Defenſoris æquaſſe Jacobum Regem; fines humanæ conditionis prætergreſſum Heroem expreſſiſſe Jacobum Exulem.

Expendite autem quantam ad rem bellicam commendationem afferat, qui duodecim ſupra centum Scotorum Regum Inſignia, Faſceſque percenſet; qui tot Domi exempla, tot ſummæ gloriæ monumenta circumſpicit. Fulgores Avorum illos ſuſtinuit inconnivens decennis Puer. Armis, ſagoque inter bullas, & crepundia candidatus, Caroli Regis Parentis ſui propugnator, primos, eoſque armatos amores Pietati, prima odia factioſis partibus Anglici, Scoticique Senatus litavit. Gloriæ ſuæ ipſa annorum acerbitate maturior vitam, quam recens acceperat, Patri feſtinat impendere, egregius Fœnerator beneficii, quod vix cognoverat. Atque utinam conatus ille tam feliciter proceſſiſſet, quam fuit honeſta cauſa ſuſceptus. Nec idcircò fortiter audentem uſquequaque eventus deſeruit. Nam qui præſeptus undique interverſæ dominationis Legionariis, Oxonii, Londini, ad Caſtrum Richemondiæ, ad Caſtrum Novum, in Curia demum Hamporia-

poriana, honoris ſpecie, captivitatis nomen tegebat, ſuppetias venire non potuit Parenti Regio, ad cujus vitæ exitum ſupra omne exemplum, fidemque calamitoſum omnis Poſterorum memoria obrigeſcet. Sed nulla illi obſtitit ſeditioſorum vis, quò minus virili conſilio, ſolertique, à calcata Hoſtibus Regia, à Patria furioſorum hominum tabe inquinata generoſum effugium impetraret. Diſſimulaverat ille quidem Ducem Eboracenſem, amictu fœmineo adoptato, ne ſcilicet hoc etiam Britannico Achilli deeſſet, ut, mentito ſexu, aliquantulum deliteſceret. Verum, cum aureæ Periſcelidis, quam imprudens non dimiſerat, teſſera detectus, nihil eſſet propius, quam, ut ad Cuſtodes iterum raperetur; elata fronte, habituque oris interrito; Subſiſtite, inquit, Milites; veſtræ poteſtatis eſt Dux Eboracenſis, pietatis veſtræ, ſi de illius ſalute ſtatueritis, perfidiæ, ſi de iniuria, per omne tempus memor futurus. Exarmavit odia, perterrefecit hoſtium vultus conſtantia Pueri, & quidem Fœminam mentientis. Itaque, immutata divinitus mente, moras omnes abrumpunt; ad Navigium Præſidiarium Ducem deferunt; ſimulque ipſi fauſtiſſimæ tunc navigationis, mox periculorum omnium ſocii futuri, Middelburgum apud Zelandos Ducem Eboracenſem, Regale depoſitum, ſpes Angliæ, publicæ ſecuritatis Palladium appellunt. Ampliſſimum hic illi Theatrum ad bellicam parandam laudem obvenit, Belgium, multis experimentis illuſtre Martis Domicilium. Aſſentior planè Scriptori veteri, qui teſtatum reliquit, non minimum referre, in quæ cujuſque virtus tempora incidat; quem potiſſimum campum, in quo poſſit excurrere, nanciſcatur. Actum certè minus commodè cum Romanis, cùm ſegni, diutinoque bello conſene-

ſcerent apud Fidenas, & Vejos, obſcura nomina. Per ea tempora Belgium maximorum Europæ Regum armis obnoxium flagrabat. Quas ibi partes ſummi Imperatoris Eboracenſis non obiit? quæ decora non expreſſit? quas laudes vel ab hoſtibus non extorſit? Militem in Caſtris morigerum, ad imperia paratum habere; feſſis ſolatio, ægris præſidio eſſe; nihil à cæteris, niſi virium præſtantia differre. Mores gentium, locorum opportunitates, ſituſque cognoſcere: Hoſtem adoriri cautè, firmiter ſuſtinere, aſtu decipere; primus inire prælium, poſtremus deſerere. Quoties per tranſverſos hoſtium cuneos cum expeditiſſimo Equitatu felici audacia evaſit? Quoties inclinatos Ordines aſpectu, nutuque in gradum reſtituit? Nam documenta illa ſummæ virtutis, atque ſolertiæ militaris, quæ ad obſeſſum Atrebatum, & iterum memorabili pugna ad Dunquercam edita, palam exhibuit, non eſt, quod tenuitate præconii minora faciam. Præſertim cum virtus illa non modò ad meritiſſimæ teſtificationem laudis, ſed ad ſingularem admirationem rapuerit Ludovicum Borbonium Principem Condæum, & Henricum Vicecomitem Turennium, lumina illa bellicæ artis, de quibus faciliùs judicaveris, utrumque maxima, quam uter majori gloria enituerit. Præſtantes terreſtribus copiis Imperatores perinde ſumma navali laude floreſcere, longè operoſiſſimi laboris eſſe, cum res ipſa, tum exemplorum infrequentia jubet eſſe perſpicuum. Ego verò vos, Bataviæ ſinus, appello, quos Eboracenſis in perpetua Victoriarum ſuarum monumenta convertit. Dicite veſtras Claſſes iterato prælio fuſas, atque diſiectas; recenſete direpta ſigna, avectas prædas, Nauticam Turbam, militemque captivum; Obdenii Batavici maris Præfecti præcipitem fugam,

fugam, & indecorem commemorate: Ad extremum quidem discrimen Obdenius Britannicam Classem, & Ducis vitam adduxerat, cum, directis ex alto in prælium navibus, comprehensam Anglorum Prætoriam, valido Militum egressu, circumstetit. Eboracensis, in re subita trepidaque, arrepto Regiæ puppis vexillo, per discurrentes faces, per disploſas pilas huc illuc transvolantes, ubi Mars erat pugnacissimus, sibi gladio viam aperit, saltuque in scapham transiliens, submissam à tergo Præsidiariam conscendit. Quam cum nihilo segniores Batavi ferreis harpagonibus arriperent, sisterentque, & circa Ducem congiobati, non levi Nobilium strage, manus conserrent; iterum Dux Insigne Regium attollens, per suorum cadavera, per ingruentium hostium tela, in aliam Auxiliariam se coniicit, non intellecta periculi magnitudine, nisi postquam vitaverat. Tunc verò exarsit animus, præclaro aliquo documento, de suorum virtute commonere Batavos; quos inauditæ fortitudinis felicitate obstupefactos, haud cunctanter insequutus, ingenti parta gloria, in ipsos Bataviæ portus premit, fugatque; Classemque omnem trepidam, & paventem, nullo negotio, tormentis, globisque incendiariis absumere potuisset, nisi, quos armis vicerat, iterùm superare clementia maluisset. Sed video vos de Jacobi Ducis Eboracensis spectatissima in armis laude minimè dubios ad illum Fidei Defensorem Jacobum Regem subsultantibus animis inhiare. Jam pridem ille Regale pectus, validissimum Fidei munimentum, nefariis Procerum artibus, atque commentis objecerat, cum aditum sibi ad Regios honores omnem præcidit eodem calamo, quo iniquis Religioni legibus, conceptisque

tiſque à Calvinianis Architectis conditionibus ſubſcribere detrectavit: ſi tamen qui ita ſe Regalibus titulis, & Inſignibus abdicat, proiicit honores, nec potiùs fœneratur, longeque nobiliorum quæſtum, atque compendium facit. Tu verò, maximorum Principum præclare geſtis ſubſerviens, Fama, calamum illum, quem Jacobus tantopere refugit, ſuſcipe; notiſque nulla temporum iniuria perituris, hoc ipſum lucidiſſime ſcribas, Jacobum ſcribere exhorruiſſe. Nullus certe calamus de Jacobi laudibus ſcribet uberiùs ipſo Jacobi calamo non ſcribente. Quid verò illa prædicem ſpolia ab Hæreſeos caſtris relata, cum Annam, priorem Coniugem, elati cæteroqui,& præſtantis ingenii fœminam, ſed alienorum à Fide Dogmatum contagione contaminatam ad Vaticani ſigna perduxit? quid opimam illam, præclaramque prædam, Carolum Regem Fratrem ab ipſis ſempiterni interitus faucibus vindicatum? Unum ſiquidem Fratrem ſanctiſſimi Authorem conſilii, impulſorem unum habuit Carolus, cum à trita tot annis pravarum opinionum ſemita, ſub ipſum vitæ exitum feliciter aberravit; cum, lecto, ubi decumbebat, in arenam commutato, ægroque corpore validiſſimum Palæſtritam animo induens, eliſo Impietatis jugulo, in ipſo Romanæ Fidei complexu, non tam extremum ſpiritum, quàm recentem, longeque pulcherrimam de teterrimo hoſte Victoriam conſecravit. Carolus morti proximus Fratri Regnum; Jacobus Carolo Cælum reſtituit; non Carolus ſplendidiorem Hæredem habiturus; non Jacobus fortem magis, & ſtrenuum Deceſſorem. Ubi verò Regnum obtinuit, tametſi, Imperii ſpecie, ingentes illi calamitates evolvendas Carolus reliquiſſet,

ſet, ipſe verò non falſus animi proſpiceret in funeſtiſſimum excidium eruptúrum impendentem turbinem, popularium odiis, Potentium ambitione collectum; non idcircò Religionem, jus faſque anteà privata commoda, Regnique rationes habuit. Cujus, rogo vos, firmitatis animi fuit, in clariſſima gentium luce, in omnium oculis, Catholicorum Sacra profiteri; rem Divinam peragenti publicè intereſſe; ad Cæleſte convivium accedere; Romanis ritibus initiatos intimè admittere, efferre, exornare, in ea Regia, quam ſciret obſeſſam ſibi, ſtirpique ſuæ alienis, & infeſtis, quia offenderant; in ea Civitate, quò longè faciliùs, quam reliqua mercimonia novarum colluviones confluunt doctrinarum? Præſertim cum eventilandis ambitioſorum flammis Hæreſis præſto eſſet, vulgato jam Monſtri ingenio, obtentu Religionis, abruptum Principibus obſequium molientis. Quam altè Religionis ſtudium ejus animum occupaverat, cum in Aulam Londinenſem Summi Pontificis Oratorem, illis utique Regionibus diù occultum, atque ſubtractum Sidus, induxit; ut luce è Vaticani culmine diffuſa deformatam Inſulæ faciem inauraret; atque in tot Populorum animis penitùs inuſtas nequiſſimorum notas errorum Cæleſtibus flammis aboleret, atque detergeret? Et quoniam virus illud in Regni viſceribus penitùs inoleverat; paſſimq; homines privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil in factis moderatum, nihil in doctrina ſanctum habere, libertatis partem credebant; nullas Rex officioſæ benignitatis, nullas ſingularis prudentiæ partes intentatas reliquit, quò in certam perniciem ruentes ad ſaniora conſilia peliiceret. Præterire profecto neminem poterat, Regem, ut erat pa-

rabili venia, & ingenio mira quadam ſuavitate ad lenitatem remiſſo, ſinum non modo pœnitentiæ, verum etiam beneficiis laxaturum jis, qui ad obſequium remigare potiùs, quam fallaci rerum novarum eſca illiciti, & irretiti, ſe, Patriam, liberos, fortunaſque ſuas perditum ire conſtituerent. Ad hæc, ut in poſteras etiam ætates vigiles & ſalutares curas extenderet, adaperta inſtituendæ Juventuti Lycæa, Viris perſpecta probitate ſuppleti Magiſtratus, conſignatæ Urbium Præfecturæ, quibus integritas, fides, Reipublicæ ſtudium ſuppeteret. Poſtremo cum homines, quibus nulla ex honeſto ſpes, publica mala ambitioni ſuæ remedium quærerent; &, non divini, non humani juris memores, eò palam tenderent, uti ex ſcelere jus facerent, & Principis clementiam in alimentum perfidiæ verterent, poſtquam remedia ex lenitate quæſita in immenſam perniciem proceſſerant, illùc invitus pertrahitur, ut armis belloque impendentibus malis occurreret. Neque enim ultra blandiendum erat peſti, monſtroque, quod elato, inflatoque collo, Urbes funeſtaret, vaſtitatem induceret, Domum Regiam, nomenque protereret. Æquiſſimam armorum cauſam eventus admodum læti exceperunt. Verùm, propterea quod arcano Divinæ mentis conſilio factum eſt, ut cædes, proſcriptiones, tragicæque rerum converſiones poſterioribus annis pateſcerent, acerbiſſimi temporis ſeriem illam omnem, memoratu atrociſſimam, conſpectui veſtro ſubducam. Nimirùm Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ Regnis diſertiùs Roma ipſa Romanæ Fidei fortiſſimum exerit Defenſorem. Hærent adhuc opinor omnium mentibus feliciſſima illa tempora, cum ampliſſimo genere, ſed ardore Pietatis illu-

illuſtrior Princeps, Palmerius Roggerius Comes de Caſtelmain à Jacobo Rege, obſequii deferendi profitendæque Obedientiæ ergo Orator miſſus ad Romanum Pontificem, Anglicorum Regum Legationem iniquitate temporum perdiù intermiſſam reſtituit. Quanta verò comitatus lectiſſimi pompa, quanta auri profuſione, Aulicique apparatus cultu, elegantia, copia reſtituit? Iterum veſtris oculis ſubjicerem, ad ſpectaculum ſæculorum interjectu non uſurpatum, exilientem Urbem: cum confertiſſimus ubique pòpulus prætergradientis currus ſtiparet; cum paſſim ad Cælitum Aras Deo grates perſolveret; cum ſummi Regis ſtudioſiſſimi Viri Principes Regium Oratorem Regia magnificentia exciperent. Sed quò tunc lætabamur effuſius, vehementius nunc mœrore conficimur, & ex illorum felicitate temporum magis, magiſque hæc præſentia vulnera recrudeſcunt. Ego certe, nobiliſſime Comes de Caſtelmain, cum te ex alio ſuggeſtu præſentem alloquerer, tibique inaugurationem optimi Regis, cui noſtri Ordinis homines, multis perſpectiſque de cauſis, devinctiſſimi eſſent, publicè gratularer, conſtituendum à Jacobo firmiter Regnum, gloriosè amplificandum, lætiſſima demum omnia præcipiebam animo; non hujus diei mœſtitiam, non pompam iſtam Exequialem cogitabam; me verò, qui recens inaugurati Regis laudator fuiſſem, acerbiſſimi hodie Funeris præconem futurum. Sed ab invicto Jacobi pectore diſcat conſtantiam dolor. Qui certe, ut ſibi vel maxime imperet, intraque rationis ſepta conſiſtat, vereor tamen, ut ipſius caſus tam fortiter ferre poſſit, quàm ipſe pertulit ſuos. Faſtos evolvite temporum præteritorum; Memorias omnes percurrite:

ſincera, non declamatoria fide; ingenue, non jactanter dico; nullum vobis ſummi Herois pectus occurret, in quo fortis, & excelſi animi magnitudo vires ſuas validiùs exeruerit; ſua Inſignia extulerit glorioſiùs. Ab aviti Regni poſſeſſione dejectus Regio faſtigio elatiorem Exulem agit. Non deliteſcit in exilio Dignitas; vigor in caſu non deficit; Majeſtas in umbra non obſoleſcit. Reditum ſibi ad Regnum undique intercluſum proſpiciebat; cum furor, & ſævitia intus aleretur; vis & metus foris ingruerent; ſed prægeſtiebat, ſubducta illa veluti ſarcina, expeditiorem ſe ad ſupremi Numinis clientelam tranſire; ſe ſuaque omnia in ejus nutu reponere. Fluxam ſuorum fidem apprimè noverat, eorum quam maximè, quos arctiùs ſibi beneficiis, & ſecretorum conſcientia illigaverat; at eò curatiùs adniti, ut ſua in Deum fides conſtaret, quò ipſe graviori ſuorum perfidia impeteretur. Neque verò ſimplex Jacobi Exilium, ſed planè multiplex fuit. Nam qui lectiſſimam Conjugem, Mariam Eſtenſem; ſuaviſſimam verò Sobolem, Valliæ Principem in exilium ſecum adduxerat, iterùm exulabat in calamitate Conjugis, per omnia Virtutum exempla tanto Heroi planè comparis Heroinæ: atque alio rurſus exilio afficiebatur in dulciſſimæ Sobolis caſu, quam patrias virtutes, perinde, ac vultus ſpirantem haud ſatis ſcio, ærumnarumne levamentum, an acerbioris curæ cauſam haberet. Ego verò nimis inſcitè Jacobi Exilia percenſui, qui omnium graviſſimum præterierim, Exilium à ſuis Regnis deturbatæ Religionis. Alia ſiquidem Exilia minimum ſentire potuit, à Rege Chriſtianiſſimo tanta habitus, excultuſque magnificentia, quanta, & qui exciperet, & qui exci-

pere-

peretur, Regem deceret : Religionem verò à ſuis Regnis exulantem eò gravatiùs ferebat, quò Regnum, in quo verſabatur, Religioni addictius eſſe cernebat. Imo verò, cum profligatam in Anglia Religionis cauſam, cum Catholicos Proceres à Magiſtratibus deturbatos, cum tot præſtantium hominum ab illis Regnis ejectorum egeſtatem, ſqualorem, rerumque omnium penuriam paſſim Europæ Regna ſummâ triſtitiâ, lacrymis, commiſeratione proſequerentur lugubres illæ omnium voces, illæ Populorum luctus, & querimoniæ, Romæ præſertim, pulcherrima fruſtrata ſpe nobiliſſimæ Insulæ ad avita Fidei ſigna reducendæ, ſuſpiria, in Jacobi animum graviſſimo quodam impetu recidebant. Se mœroris publici cauſam incuſare; ſuis unicè criminibus factum eſſe palam profiteri, ut tantæ curſus felicitatis intercideret, ut illa Regnorum acceſſione Fides, & Religio viduarentur. Interea admirabili illa Exulis pietate, conſtantia, ſubmiſſione, quantavis Regnorum adeptione jucundiùs Religio lætabatur. Nullo facile iniquiore loco res Romanæ fuerunt, quam cum, circumvento ab Hoſtibus Capitolio, Roma, ut ſunt Hiſtorici verba, nihil habebat reliquum, præter Jovem obſeſſum, & Camillum Exulem. Calamitoſiſſima certe magnæ Britanniæ facies fuit, cum Religio nihil reſiduum obtineret, præter validas quidem, ſed exiguas Catholicorum copias ibidem miſere exagitatas, & Jacobum Exulem. Gemino illa ſpectaculo media, hinc commiſerationem in Regnum, amores illinc ſuos partiebatur in Regem. Inſula, quæ olim Pietatis ſtudio ad invidiam maximarum gentium efflоruerat, fœdiſſimis nunc erroribus deturpata; illam vehementer ange-

bat; ſed Regis animus ſupra caſus, & incerta viciſſitudinum à virtute poſitus ſublevabat. Ab Anglia teterrimis opinionum portentis mancipata incredibilem ægritudinem, ab inconcuſſa Regis extorris fortitudine fructus capiebat uberrimę voluptatis. A Regnis olim ſibi acceptiſſimis depulſa languebat; in Jacobi pectore firmiſſime retenta triumphabat. Quidni verò in ejus animo triumphum multo ſplendidiſſimum explicaret, qui omnes fortunæ vires elideret, tela frangeret, impetus retardaret? Neque enim adverſa invenire aditum poterant, ubi fores omnes conſtantia præmuniverat; non trepidatio, aut metus irrepere, ubi voluntas divinæ mentis arbitrio ſe fortiter adjungens, in ipſa rerum omnium perturbatione pluſquam Halcyoniæ tranquillitatis dies agitabat. Quod ſi pateretur juſtæ modus Orationis, ut decora virtutum omnia perſequerer, quæ generoſum illud Exilium illuſtrarunt, hanc ipſam præ Religionis cura mortalium titulorum admirabilem deſpicientiam mirari deſinerent, qui Jacobi animum rerum Cæleſtium ardore unice flagrantem, ac beatæ illius Cælitum Patriæ rivulis largiſſimè irrigatum pernoſcerent. Profecto extremos vitæ annos ad ſimillimam ſupernis Civibus vivendi normam exegit. Divina ſolum per continuatas precibus noctes, Divina ſacrorum Voluminum lectione, Divina piis alloquiis mente, oculis, ore uſurpabat. Cum vero ſomni exiguitate, & parciſſimo cibatu vires attereret; cum voluntaria corporis afflictatione, flagella ſanguine imbueret, laqueiſque chalybe intextis latera adſtringeret; quò demum ſpectabat, niſi ut corpus, tanquam oneroſum impedimentum paulatim dimitteret, quò ad Cæleſtem

ſtem Regiam promptior animus revolaret? Reditum autem illum nequaquam ſimplicem, aut ſolitarium adornaverat, qui Annam conjugem, qui Carolum Regem Fratrem, qui tot ab Hæreſeos ſignis divulſas illuſtrium bellatorum copias præmiſerat: qui immenſam auri vim, ſuis uſibus detractam, jis ſuſtentandis impenderat, quos ab Anglia, Scotia, Hibernia, Fidei, & Regis amor abduxerat. Qui demum Romanæ in Anglia Fidei firmius in poſterum ſtabiliendæ vigili ſolertique cura, nobiliſſimam Sobolem, Valliæ Principem in ſinu Religionis inſtituerat. Quid autem Valliæ Principem dico? Imo vero Jacobum III. bonorum omnium animis lætitia geſtientibus, à Ludovico Magno Chriſtianiſſimo Rege, maximo, laudatiſſimoque Fidei, Pietatis, Religionis exemplo, magnæ Britanniæ Regem ſalutatum. Is, ut ex hoc ætatis flore certiſſima ſe produnt auſpicia, laude bellica, Jacobum Ducem Eboracenſem; Fidei propugnatione, Jacobum Regem cumulatiſſime referet: Ejuſdem vero Exilium Chriſtianæ Reipublicæ meritiſſimo jure acerbiſſimum, optatiſſima diuturnaque penſabit, quod Regnorum Soſpitator annuat Deus, regnandi felicitate.

1384-924